CENTRALE V. E. II

6
22-
728

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
18 D
57



6-22. a. 128

XXXIII. 14. 26

DVO
TVM GRAVISSIMA,
TVM LEPIDISSIMA
POEMATA HEROICA.

ILLVSTRISS. IACOBI SADOLETI,
& Franciſci Sfondrati. Quorum alterum
inſcribitur Curtius, alterum vero
De raptu Helenæ.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



IN ACADEMIA VENETA,
M. D. LIX.

ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO CHRISTOPHORO MADRVCCIO, SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI,

EPISCOPO ET PRINCIPI TRIDENTINO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT.O EMANUELE

SI & ſuæ voluntatis, & meritorum tuorum, tuæq́; ſummæ virtutis, maxime Princeps, rationem habuiſſet Academia noſtra; miſiſſet ad te maiorum vigiliarum opus, ac nobiliori ſcientia refertum. Sed, cum ad eos animum conuerteret, quorum ab ingenijs hoc, tibi à nobis dedicatum, tam graue tamq́; ſuaue poema profectum eſt, qui & ex tuo præclariſsimo ordine fuerunt, & ſingulari tibi amicitia coniuncti; cumq́; illud ſimul cogitaret, animum tuum, grauiſsimorum negociorum onere defeſſum, merito interdum genus aliquod honeſtæ voluptatis appetere: propterea his diebus, cum paulo liberior

hilaritatis ac lætitiæ poteſtas hominibus conceditur, hæc duo non admodum multis verſibus conſcripta poemata, tui nominis illuſtri titulo decorata ſtatuimus emittere, quorum in vno ſane grauiſſimo, ac nobiliſsimo, ſublimitatem carminis præſtantiam exæquaſſe inuſitati facinoris, à Quinto Curtio geſti, plane conſtat: in altero autem eximia ingenij felicitate adeptum eſſe poetam duas illas, quarum eſt difficillima ſocietas, quæq; non niſi ſummis vatibus conceduntur, eximias laudes, vtilem ſcilicet grauitatem, & iucundam ſuauitatem. quibus virtutibus ita floruit in hoc opere vterq; Illuſtriſsimus ac Reuerendiſsimus poeta, vt ijdem floruerant, alter ſcientia legum, & experientia rerum humanarum, alter vero præſtanti quodam planeq; ſingulari ſolutæ orationis genere, & ea prudentia, quæ in magnis negocijs recte atque ordine adminiſtrandis elucet. Gratum igitur tibi fore vtrunque poema, non minus gratam hanc noſtræ in te obſeruantiæ & beneuolentiæ ſignificationem exiſtimamus, quando primum hoc mentis optimæ teſtimonium eſt Academiæ noſtræ: cui, poſt illud inſtitutum vitæ ad Chriſtianam normam & ad virtutem dirigendę, quo in ſtudio magna cum tranquillitate ac dignitate verſatur, duæ potiſsimum intimis in ſenſibus cogitationes hærent, primum, vt ad eorũ,

qui

qui ſcientias arteſq́; nobiliſsimas profitentur, vtilitatem euigilet, nulliſq́; omnino ſudoribus parcat; deinde, vt eorum Principum voluntati, & gloriæ ſeruiat, quorum merita præſtanti digna ſtudio atq; præconio cognoſcentur: quos inter animi tui præclara bona, rariſsimæq́; virtutes ita ſplendent, nihil vt illuſtrius eſſe poſsit. ſemper enim ita & voluiſti, pro tua ſingulari probitate, quæ pietas Chriſtiana requirit, &, pro mirabili prudentia, cognouiſti, magnificeq́; perfeciſti, vt hac nobiliſsima arte, ac honeſtiſsima & maxima vi tum ad intimam præſtantiſsimorum Imperatorum, ſummorumq́; Regum beneuolentiam perueneris, tum vero in omnibus non vulgari aut humili virtute excellentibus viris magnã tui colendi, te laudandi, tibi ſeruiendi cupiditatem excitaueris: cum & Principes cõſilijs opibuſq́; tuis, arduis in rebus, vel ad ſalutem ſuam, vel ad gloriam ſpectantibus, frequenter vſi ſint, & qui doctrinarum laudabilium ſcientia præſtant, aſſidue tibi præſentibus officijs præſto ſint, & ex animo te vehementer obſeruent, non nulli etiam ſcriptis luculentis partim ſui erga te ſtudij, partim tuarum clariſsimarum virtutum etiã futuris gentibus teſtimonium præbeant. Tu autem tantorum beneficiorum, quæ tam liberali ſummus Deus in te manu contulit, aſsidue memor, benignitatem in

præmijs

præmijs tantam declaraſti, vt, quod inter externa bona primas obtinet partes, id plane ſis aſſecutus, honorẽ videlicet, quæ vna recte factis & vera merces ab ijs, qui vrbibus imperijsq; ſummo iure præſunt, vehementer expetitur. Tuæ vero pietatis, tuæ magnificentiæ quæ potuerunt eſſe illuſtriora ſigna, quàm cum probos & ſanctæ educatos pueros, Marcelli ſecundi fratre natos, repentino ſanctiſsimi patrui, ſummi Pontificis, interitu, ab excelſa ſpe in fortunam infimam deiectos, ita prompte ſubleuaſti, vt ſi te Beatiſsimus ille Paſtor non modo reliquorum bonorum, ſed ipſius etiam Pontificatus hæredem, & ſucceſſorem reliquiſſet? His actionibus, Princeps illuſtriſsime, fallunt deluduntq; mortem homines præclara cum laude. hæc ſunt illa facinora, quæ multis iam ſeculis extinctos, & ſepulcrorum in tenebris latentes, in vitam lucemq; reſtituunt. Viue igitur hac ſpe contentus, quando te hoc dignum euentu eximiæ tuæ virtutes efficiũt, & ad eorum numerum, quorum te opera iure tuo vti poſſe, nõ dubie putas, Venetos etiam Academicos, tuę cupidiſsimos perpetuæ felicitatis, adſcribe.

Illuſtriſsimæ ac Reuerendiſsimæ
D. tuæ deditiſsimi,
Poetæ Academiæ Venetæ.

IACOBVS SADOLETVS ANGELO VBALDO. S. P. D.

QVANTI faciam te,& ſi antea multis de rebus cognoſſe te arbitror; tamen hoc argumento etiã perſpecta erit erga te voluntas mea. nam, cum propter diutinas occupationes longum iam tempus mutũ mihi à literis præteriret, idque, quod quandoque daretur, in ſtudijs grauioribus conſumere eſſem meditatus: tibi tamen aliquod à me huiuſmodi quaſi beneuolentiæ teſtimonium, hanc operam negare non potui, quanquam genere ſcribendi pene à me alieno. Scis enim, quòd me rarò ad poetas dare ſolitus ſim. ſed ſi amicitiæ noſtræ familiariter excipere, tuæ tamen dignitati non debere hoc munus non licebat. cui enim tua & virtus, & auctoritas non afferat recuſandi verecundiam? M. itaque Curtium nuper abſolutum tuo nomini dedicaui, conſilio etiam inito, ſi inciderit, vt commode poſſimus clariſſ. quodq; ex veteri memoria factum aut militiæ, aut domi, hexametro carmine deinceps perſequi. ſed hoc poſtea. Curtium quidem nunc meum, vt olim Lucilius, quominus legatur à mediocriter peritis, non impedio: doctorum iudicia vereor, ac,ne in ipſo limine offendam, pertimeſco. Opponis enim tu mihi ſummã doctrinam, ſingularemq; ingenij,& prudentiæ grauitatẽ maximi viri Franciſci Soderini Cardinalis. Quoniã autem ad beneuolum

nobis arbitrum me vocas, non mihi fugiendum compromiſſum eſt. ſed, cum tantum tibi debeam, quantum perdifficile ſit vno nomine expedire; aduocabo mihi æquitatem probatiſſimi hominis Matthæi Vbaldi patris tui. is enim, vt iuris ciuilis, & pontificij ſcientia clarus XII vir cauſis iudicandis, atque in eo munere præſtantis ſcientiæ eſt; ita profectò ex æquo, & bono decernet, magni æris alieni, quod mihi cum tota familia veſtra contractum eſt, non fugitiuum me debitorem videri. Vale.

IACOBI SADOLETI,

VIRI ILLVSTRISSIMI

CVRTIVS.

IRE per æternos æui uenientis honores
Conſpicuum meritis, & iugi uiuere fama
Fas illum eſt, quem fata uocant, cui pectore præſens
Excubat, atque animum cœlo adijcit ignea virtus:
Cuius ſæpe ſagax trepidis prudentia rebus
Veſtigauit opem, docuitq; haud ſera Senatum:
Siue armis ille, & dextra, ſeu morte cadentem
Seruauit patriam, atque hoſtes in funere uicit.
Nec tamen eſt decorum tantorum maxima merces
Laude hominum, aut poſitis trunco ſpectanda trophæis,
Quanuis longa datum ſtruerent in ſecula nomen.
Verum illuc melior ſpes euocat, unde recepti
In lucem ſumus, ac patrios reuocamur ad ortus,
Cum cœlum ſuperoſq; lares axemq; ſerenum
Suſpicimus, rapido circum qui ſydera flexu
Torquet, & immenſos actis ciet orbibus orbes.
Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Conſtituit, nec non pulchra in ſpectacula claris
Ignibus, & multo ſtellantem inſignijt auro,
Dignam ſedem animis præſtantibus. illa Deorum,
Illa domus nobis patria eſt. hic nobile magnæ
Accipiunt precium, regnantq; per æthera mentes.
Sed fuit hoc. olim ſuperas euadere ad arces
Regia tecta Deûm cætu meruere frequenti
Magnanimi Heroes, priſcis quos extulit annis
Tunc, cum larga Ducum fundebat ſemina tellus.
At nunc, (quandoquidem hæc turpi conſumpta ueterno
Iampridem infelix, inhonoraq; tabuit ætas,
Et cecidit decus, & dominantum more ſiniſtro
Eiectum ingenium, virtuſq; faceſſere iuſſa eſt)

Nos veterum facta haud ſegnes repetamus auorum
Fortia, & ad priſcum curam hanc uertamus honorem;
Qua fortuna ſinit, quantum eſt conceſſa facultas.
Sitque prior; quem non metus; & grauis ira Deorum
Terruit, abyſſæ non monſtra immania terræ,
Quin facto egregio infernis ſe traderet aris.
Nam, ſiue infenſis Capitoli, arciſq; Lyceæ
Præſidibus ſuperis, clauſi ſeu turbinis æſtu
Mota loco tellus ſpatij diſcrimine uaſto
Abſliterat, medioq; foro patefacta uorago
Abrupta in præceps immenſa, oriſq; profundi
Summotas reſerans fauces (trepidabile uiſu)
Tartaream ad noctem, ac ſedes penetrarat Auernas,
Intuleratq; diem, cæloq; refuderat vmbram,
Prodigium horrendum; ceu nigro abduntur hiatu
Tænara, Cumæaq; ſpecus latebroſa Sybillæ.
Extemplo exciti monſtro populuſq;, patreſq;
Concurſu approperant magno, & de collibus altis
Denſi aſpectantes. ſtygij ut portenta Sepulchri,
Atque atram uidere luem, rimoſaq; circum
Aequora, & immani iam iam ui rupta baratro,
Perculſis ſtupuere animis, tum frigidus artus
Concuſſit tremor, & ſubito per membra cucurrit;
Nec iam ſtare gradu, aut tumulis ſublimibus audent.
Sub pedibus late ſcindi, infidumq; labare
Omne ſolum, colleſq; ipſi ſubſidere in ipſa
Tartara, & obſcura mergi ſub nocte uidentur.
Ire ſuper ſuperum trepidos, fruſtraq; uolentes
Inde fugam fallit conatus, & ægra receptum
Genua negant gelido concretis ſanguine fibris,
Nec uires membris notæ, nec uox ſonat ore.
Ac ueluti ſiquando truci ſub imagine ſomni
Declini e ſcopulo, ripaue horremus ab alta
Præcipitem caſum: refugit calor oſſibus omnis;
Et uires, & membra cadunt: non anxia uocem

Verba ſonant: preſſos ſopor, & timor alligat artus:
Haud ſecus Aeneadæ gelida formidine tardos
Implicuere gradus, nec uis ſua tollit euntes,
Spectanteſq; fugam, prorſuſq; extrema trementes.
Tandem ubi gliſcenti grauis eſt mora uiſa periclo,
Incubuitq; malum uiolentius, & metus alter
Excuſſit ſtupidos, ac mentis reddidit uſum:
Quærere opem rebus ſummis, & nitier omni
Auxilio, raptimq; cauas explere latebras
Aggere proiecto, & congeſtis molibus inſtant.
Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem; ſpes una ſuperſtes,
Si quis apud diuos ueniæ locus. ergo per omnes
Ire aras pueri, & matres, timidæq; puellæ
Supplicibus uotis certatim expoſcere pacem
Numina ſancta Deum, *cæloq; extendere palmas.*
Nec minus interea Tyrrhenæ gentis Aruſpex
Fata aperit, ſic diuinis monſtrantibus extis
Ore canens. O Dardanij ſpes inclyta Iuli
Mars pater, aſtrifero genus & cui nobile cælo,
Et uirtute fidem, & præſtantibus aſtruit armis:
Non hæc cælicolum graue, & implacabile numen
Nunc portenta nouat, ſed hianti luridus orco
Eumenidum dolor, & rapta diſcordia terræ
Inſigni redimenda bono, quo maximus uſus
Imperij ad columen, famæq; ſequentis honorem.
Hanc fati obſcuram uocem, monituſq; Deorum
Concilio exceptos, non unis mentibus omnes
Accipere, ambigui ſenſus, diuerſaq; patrum
Murmura, nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.
Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis
CVRTIVS, *eductum Curibus quem antiqua uetuſtis*
Nobilitas laude, & ſerie decorabat auorum.
Nanque ferunt, urbis iaceret cum prima ſuperbæ
Fundamenta pater, captaq; ex arce Sabini,

Fœminei

Fœminei ultores raptus, iam ualle ſubirent,
Conferrentq; aciem, atque anceps fortuna duelli
Ambigeret; facinus clarum, longeq; fuiſſe
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.
Iſque diem (poſtquàm ad pacem uerſa arma, duceſq;
Imperij iunxere fidem, dextraſq; dedere)
In partem merito patriæ, & præclara uocatus
Præmia, nec ſtudio deinceps, nec defuit uſu
Romulidis, longamq; dedit deſcendere prolem.
Tali ortus genere, & proauiti nominis hæres
Curtius, ardenti ſæpe in certamine uictor,
Quæſieratq; manu decus, & uirtute tenebat
Exuperans animi iuuenis; ſiue arduus alto
In pugnam ſe ferret equo, ſeu marte pedeſtri
Aduerſum exciperet collatis ictibus hoſtem.
Huic pater ætheriam ſuperi conuerſor Olympi
Immittit ſubito mentem, reſeratq; latenteis
Fatorum ambages, ipſumq; in funere poſci,
Submonet, & dubiæ quæ ſit uia certa ſalutis.
Ille ardet, largoſq; alti bibit ætheris ignes
Diuinum ſpirans: nec iam mortalia cordi.
In patriam quippe & pietas, & funeris atræ
Exequiæ laudum æternæ, multuſq; ſuorum
Vrget amor: tandem, uelut acri concitus æſtro,
Irrumpit medios, teſtatus numina Diuum.
Nec mora, pro patria infernis ſe deſtinat aris.
Arrectæ mentes cunctorum, omniſq; receſſit
Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus
Magnanimi iuuenis fato, inferiiſq; propinquis.
Curritur, effuſiq; ſenes, & uulgus inundant,
Agglomerantq; foro; &, ſi qua deſpectus in imum eſt,
Aedeſq;, tumuloſq;, & culmina Pallantea,
Tarpeiamq; arcem, & Diuûm faſtigia late
Conuentu cumulant pleno, addenſantq; coronas.
Iamq; aderat longa ſenior cum ueſte Sacerdos

Funereis mœrens uittis; ſacrumq́; litabat
Plutoni ſtygio. aſt alij nigrosq́; iuuencos,
Et furuas iugulant pecudes? ipſe ordine nota
Nuncupat, & iuuenem ſpargit fluuialibus undis,
Voce ciens triplicemq́; Hecatem, magnamq́; parentem,
Tergeminosq́; deos: tum numina dira precatur
Eumenidum, populoq́; grauem depellit Erinnyn.
Stant taciti circum, linguisq́; ſilentibus unum,
Vnum omnes fixi obtutu, immotiq́; tuentur
Armatum extantem, atque ærata luce coruſcum.
Ille autem (nam fata premunt, longasq́; recuſant
Ferre moras) coram uacuum progreſſus in æquor,
Vt ſtetit abruptæ titubato in margine ripæ
Pallidus, inq́; atram deiecit lumina noctem;
Rettulit os rurſum cælo, ſublataq́; tendens
Brachia, in has ſupplex exoluit pectora uoces.
Dij patrij, quorum auſpicijs ſtat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis auctor
Bellator Mauors, Vulcane, paterq́; Quirine,
Veſtalesq́; foci, Ianiq́; biuertias ora,
Audite hæc, ſanctumq́; precanti aduertite numen.
Si qua, nefas, uirtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnamq́; uocat; fraus hic communis abeſto.
Vnus ego haud ſegnis dextra, nec frigidus armis
Hanc animam inferno umbrarum Regi, & ſtygijs Dijs
Deuoueo, lucemq́; uolens, aurasq́; relinquo:
Tantum dura mei fugiant diſcrimina ciues.
Hanc ſpem, quam patriæ incolumis dant fata, ſepulchri
Et mortis comitem poſco, ac mecum ire ſub umbras.
Tum uos infenſi manes, queis Romula uirtus
Diſplicet, inuidiamq́; mouent ingentia facta;
In me omnes conferte iras, &, quicquid acerbum eſt,
Vertite ab excidio patriæ, exitioq́; meorum:
Ipſe luam. ſimul hæc dixit, ſimul aſtitit olli
Conſpicuus auro, & Maſſyli pelle Leonis

Acre fremens bellator equus, quo tendere in hoſtem
Primus, & obſtanteis incurſu rumpere turmas
Suetus erat, ſubitaq; acies turbare procella.
Hunc ubi terga premens, dorſoq; exceptus amico
Impulit, & notis habilem tremefecit habenis
Nil mortale putans, animiq; interritus Heros:
Viſa hominis maior facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruſcant.
Interea cœlo ſuperum Rex magnus ab alto
Vrbem Dardaniam aſpectans, ſæuæq; ſuperbum
Contemptorem animum mortis, dabat inclyta facti
Præmia, ſecum animo uoluens, curamq; fouebat;
Cùm lachrymas, promptumq; ferens mæſto ore dolorem,
Triſtis eum medio cœli ſuper axe Quirinus
Alloquitur. O, cuncta pater qui fata gubernas,
Aeternumq; regis: en quò ſpectata tuorum
Incidit, aut quaſi damnatur funere uirtus?
Non hæc exactis olim ſperauimus annis,
Cum ſedem hanc terræ regno, externiſq; triumphis,
Romanumq; tuo ſancibus fœdere nomen.
Atque ante hoſtili uirtutem opponere ferro
Vnum opus, & labor unus erat, preciumq; laboris
Imperium patriæ, aut leti ſors clara ferebat.
Nunc iam quid ſupereſt; aut quam fortuna ſinit ſpem,
Si manes rigidos etiam, & fera tartara contra
Bellandum eſt? num dicta retro mutata recurrunt
Fata tibi? aut cœpti piget, & ſententia uerſa eſt?
Et nunc iſte quidem iuuenis capite improba rerum
Detrimenta luit, unuſq; immittitur Orco
Inſcius ullius culpæ. ſic digna rependis
Præmia? uirtuti genitor hæc gratia prompta eſt?
Si quod conceptum eſt in te facinuſve, ſceluſve
Aeneadis, generiq; meo; te uerius ipſum
Tela dare, & ſeptem repetitis ictibus arces.
Fulmine deijcere, ac ſedes abolere nepotum.

Sin autem & caſtæ ſunt res, nec iuſtius ulla
Relligione pater coleris, ſub numine ſemper
Roma tuo, puroſq; tibi meditatur honores;
Parce tuis, pacemq; refer. ſic Romulus orſus.
Tum pater, Aetherio pellit qui nubila uultu,
Talibus it contra. Nec te dolor iſte timentem
Sollicitet mea progenies, ne ue aſpera fingas
Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.
Vrbi Romuleæ late debetur, ab ortu
Quicquid ad occaſum rerum iacet, & uaga quicquid
Tethys obit, refluóq; allatrant æquora ponto.
Stat fixum hoc, nec fluxa retro ſententia mutat.
Quin iam aderit, cum tu Romana in ſceptra uidebis
Heſperiamq; omnem, & gentes tranſire remotas,
Imperiumq;, genusq; tuum. ne triſte querare
Supplicium egregij iuuenis. non ille ſub umbras
Tartareas, manes ve cadens deſcendet ad imos.
Hunc animum, has mentes, hæc corda excelſa tuorum
Eſſe uelis, fretoſq; ſinas uirtute Quirites,
Et conferre manum fortunæ, & temnere mortem.
Sic etenim uia, ſydereas quæ ducit ad arces,
Et famæ meritum ſteterit decus. His ubi mæſtum
Lenijt omnipotens dictis, gemitumq; repreſſit,
Continuo tacitus ſecum maiora uolutat.
Stant Iouis ad ſolium geminæ ſuper aſtra ſorores
Mente ſatæ æterna, queis cætu eſt cura Deorum
Adlegiſſe pios, humanaq; nectere Diuis.
Harum unam Pietatem alto deſcendere ab axe
Imperat, & Curti manes adſiſtere ſacros.
Illa Ioui parens, nimbo fulgente per auras
Cincta uolat, longamq; cito dat tramite lucem:
Qualis ſæpe polo ſaliens ſub nocte ſerena
Stella fugit curſus ſubito traiecta uolucres,
Et iam Tarpeij ſupra faſtigia templi
Aſtitit, inque arce extrema delapſa reſedit:

Cum iuueni uiſa eſt mentem maioris imago
Aſcendiſſe Dei. iuuat ire in funus, & omnes
Præcipitare moras. ſonipes ſub pondere ſueto
Ardet inexpletum exultans, iamq; ardua iactat
Brachia, iam pede tundit humum, hinnituſq; canoros
Suſcitat, & uiuos ſcintillat naribus ignes.
Eſt locus extructo ſuggeſtu, & molibus, extat
Parte fori aduerſa celeber, quem nomine noto
Roſtra uocant, primi unde duces, plebiſq; magiſtri
Affari populum, atque edicere ſcita ſolebant.
Hinc iuuenis freno, & ferratis calcibus acrem
Egit equum, lora effundens; hinc feruidus illum
Impulit, attoniti primò motu, fremituq;
Diriguere omnes, mens & calor oſſibus exit.
Ille rapit medium campi, curſuq; citatum
Quadrupedem uaſtæ immittens in aperta ruinæ
Dat ſe in prærupta, atque ingenti rupe ſecuta
Inuoluenſq;, ruenſq; ſpecu deſcendit ab alto.
Ac uelut, aerio præceps cum monte reuulſum
Saxum ingens in prona ruit, moleſq; ſubactas
Voluit, & aſſultu rapido latera obuia rumpit;
Dant gemitum, lateque fragor geminatur in auras:
Sic tellus, ſic præcipiti pulſata ruina
Contremuere fora, & longas referentia uoces
Templa ſonant. ſtetit obtutu ſtupefactus, & amens
Intento populus circum, immotuſq; pependit.
Magnus Eques uſque attonitis, horrorq;, feroxq;
Procurſus, cladeſq; uiris ſuprema moratur
Ante oculos: etiam arma tonant, etiam auribus ingens
Inſultat fragor, & torpentia pectora pulſat:
Currentemq; diu trepidant, horrentq; cadentem.
Vt primum ſonitum, atque umbras diſcuſſit inaneis
Reddita mens, cœloq; dies oblata ſereno eſt:
Commotæ extemplo curæ, cunctiq; reuerſi
Ereptum ad iuuenem ſenſus. uiridis ſubit ætas

Digna Deûm potius uenia, fatiſq; ſecundis,
Et decor, & mores placidi: tum clara recurſant
Facta animis, tantæq; recens pietatis imago,
Verbaq;, ſupremæq; preces; quo funere certus
Occiderit, patriaſq; cadens ſeruauerit arces
Vltro morte obita, & pallenteis miſſus in oras.
Cum tamen hunc miſerûm ſpes deſolata parentum,
Coniugis & charæ fletus, natique uocarent
Dilecti ad curam Laris, antiquoſq; penateis.
Tantum illum patriæ, & generi tribuiſſe ſuorum,
Vt ſeſe exitio, & fatis communibus unus
Traderet. hæc inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lachrymæq; ſequi, & crebreſcere uoces
Laudantum, ac ſortem miſerantum mortis acerbam,
Et iam confuſum diuerſo ex agmine murmur
Attolli magis, atque magis. iam ſparſa ſolutis
Turba ruit cuneis: fremitu tonat arduus æther:
Ceu quondam in ſyluis leni cum flamine primum
Offenſæ crepitant frondes, & lenta ſuſurrant
Murmura; mox ualido ſi turbine fortior Auſter
Incubuit, ſtragemq; dedit, ſtrepit omne tumultu
Confuſum nemus, & populata cacumina iactat,
Conſternitq; ſolum ramis: it ſtridor ad auras.
Iamq; patres, primiq; Ducum, lectiq; ſenatus
Fatorum augurio proceres, quiq; alta gerebant
Imperia, aut ſacros ornabant uellere canos,
Inceſſu tacito coeuntis ad oſtia terræ
Adueniunt, cinguntq; lacum; tum cætera circum
Turba premit, cætuſq; implet ſtipata profundos:
Et nunc hac, rurſum hac impulſum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo lætas, & munera prima
Apponunt. pars incenſis altaria flammis
Conſtituunt, peraguntq; preces, & rite ſacratos
Deſcribunt fines lituo, frontemq;, latuſq;,
Vltimaq;, & meritos grati teſtantur honores

Certatim effuſi in laudes . hic nota frequentant
Militiæ decora , & murales ſæpe coronas ,
Defenſumq; manu ciuem , ſocioſq; receptos ,
Indomitumq; animi Volſcum, uel cominus enſe ,
Eminus aut iaculo , atque irarum uindice dextra
Proſtratum , ſpolia inde cauis aſtantia tectis ;
Vt non conſilio inferior , quàm fortibus armis ,
Sæpe locum inſidijs deprenderit ad iuga , ſæpe
Inclinatum aciem , turbataq; ſigna ſuorum
Acrius intulerit pugnæ , turmaſq; moranteis
Vi inuictæ uirtutis , equoq; obnixus ab alto
Impulerit . tu non hoſtili cæde tepenteis
Sternere agros , non magnanimûm præferre trophæis
Martia dona ducum , laudis metamq; , modumq;
Eſſe tuæ , decorumve finis . tu ſæua refutas
Portenta , & ſtygium præclara morte furorem .
Te diri ſtupuere amnes . te ſancta cadentem
Concilium ad ſuperum , cernentis & omnia cœli
Extulit & pietas , & uitæ prodiga uirtus .
Salue certa ſalus patriæ . tibi præmia mille
Sydereis collata locis , nec plura mereri
Fas homini eſt , aut ſi fato quis maior eodem
In terram Deus ille alto demiſſus olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes ,
Quantum animi , linguæq; ualent ; non gratia deerit ,
Non amor , officiove decus . celebrabere grati
Voce æui , generiſq; tui ſeruator, & urbis .
Nec minus interea lacus hic , quem funere magno
Impleſti moriens , facti immortalis honore
Perpetuum , ſanctumq; tuum , & memorabile nomen
Proferet , æternaq; aram uirtutis habebit .

FRANCISCI SFONDRATI, VIRI ILLVSTRISSIMI, DE RAPTV HELENAE.

LIBER PRIMVS.

AVSA cano iuuenis Phrygij, qui iura fidemq́;
Hoſpitij ſanctam, thalamumq́; abſentis Atridæ
Polluit. inſigne hoc facinus, quod atrocibus orbem
Concutiens bellis, totq́; urbes clade perenni
Euertens, alijs alta incrementa parauit.
Tu modo læta meum complectere Muſa laborem,
Nec minus æqua ueni, ſi magno in turbine rerum,
Quo tot geſta uirum, tot nunc præconia laudum
Panduntur, ueteres titulos uulgatáq́; rurſus
Furta loquor. fors antiquo ſub nomine caſus
Oblectet memorare nouos, ſecliq́; recentis
Conſilia, & mores hac tempeſtate receptos.
Quòd ſi hæc uota parum cedent, felicior aura
Mox aderit, cum res, & noſtræ ætatis honores
Percurram, patriæq́; intexam nobilis ortum.
Iam pontum emenſi fatali claſſe premebant
Littus, & Euboicos rutilans aurora receptus,
Hoſtilesq́; procul Teucris oſtenderat oras:
Cum miro iuuenilem animum ſuccenſus amore,
Actutum ſomno excutitur dux Troicus alto.
Tum ſecum uiſa in tenebris, ſpeciémq́; reuoluens
Oblatam, & raræ exemplar mirabile formæ,
Attonitus primo, ſenſuq́; hebes, hæſitat anceps,
An uigilet: tantus latet unde excreuerit ardor:
Nec dum poſſe adeo nocturna inſomnia noſcit.
At ſimul illi oculorum acies, atque excita mens eſt,
Verum aperit, ſentitq́; ictus, cauſasq́; recenſet.
Vtq́; in rebus amor dubijs ſolertia prodit

Conſilia,

Conſilia, atque animos ultro addit, uimque loquendi:
Iliacos tandem proceres, cœtumque frequentem
Accerſit: tum compoſito ſic incipit ore.
Poſtquam, magnanimi ò comites, infida tenemus
Littora, & hic patrio iacienda eſt alea iuſſu:
Ante opus eſt longe euentus ſpectare futuros:
Et, quanto grauiora inſtant diſcrimina cœptis,
Cautius audendum eſt; nanque, ut nocitura paratis
Non adeo officient, ſic quæ felicia caſu
Inciderint, minimæ laudis monumenta relinquent.
At, quoniam haud uano tempus ſermone terendum eſt,
Non ego Troianas claſſes & fata retexam,
Nec paßis eadem repetam, quæ ſolis ab ortu
Ad Gades audita, atque omnibus edita terris.
Scilicet ingentes patriæ templisq; ruinas
Intulit, atque atrox infandas Græcia cædes;
Quæ fas dura pati, ſed non tolerare dolentem
Heſionen: proh Dij, uirgo Regina tyranni
Imperio ſuppoſta trucis, uitamq; tot annos
Magna labe trahens generoſa quieſcere Troum
Corda ſinet? tantumq; ſcelus patienter inultum?
Sat foret euerſæ damnum reparabile Troiæ,
Et ueteris ſtimulos uindictæ obtunderet æuum:
Verum ſeruitijs raptoris ſerua nefandi
Durat adhuc, ſemperque graues pudibunda querelas
Innouat, & lacrymis miſeranda recentibus auget.
Hinc odij fomes; hinc iuſta percitus ira
Egregius genitor claſſem ſociosq; parauit,
Vt tantum excuteret Troianæ dedecus urbis;
Nam, ſiue illicitos uinclo emendare iugali
Concubitus, culpæq; notam delere prioris,
Seu magis ad patrios miſeram remeare penates
Efferus ille uelit; iuſſum eſt coniungere dextras.
Quòd ſi amens utrunque neget, legesq; recuſet
Accipere oblatas; tantum arma, manusq; ſuperſunt,
Ius

Ius ubi non uiget; & gladio tum uindice agendum eſt.
Sed fruſtra hæc reor, atque auſus tentamus inanes
O ſocij: nec enim præbet ſpem fœderis ullam
Olli mens aſſueta malis, & neſcia recti:
Seruabit mores, & pacem faſq; repellet.
Quòd ſi tunc bellare putem, non æqua feretur
Sors pugnæ; nos externo tot in orbe periclis
Obiecti, tuto ille ſuis peccauerit oris
Haud ſcelerum oblitus. nec me timor improbus urget
Ficta loqui: laudem ſemper præferre ſaluti
Contendam; nec me auertent extrema malorum,
Dum lapſos decoret memorabilis exitus annos.
Sed quid in ultores iterum ſi damna redirent?
Actum etenim, & cunctis noſtra hæc infamia ſeclis
Maior erit, primiſq; etiam peiora ſequentur.
Quare agite in melius liceat conſulta referre:
Et, ſi opibus nequeunt modicis ablata reduci,
Aequum erit, egregiumq; alio par reddere raptu.
Nec quid (ut intueor) ſeſe nunc aptius offert,
Filia quàm Ledæ, quæ magno eſt nata Tonante,
Et germana Deum, coniunxq; inſignis Atridæ,
Atque adeo Argolicis ſpecie prælata puellis.
Hæc igitur tentanda uia eſt: iuſtamq; parare
Seu ui, ſiue dolis uindictam ex hoſte licebit.
Quin læti ſuperos etiam ſperate ſecundos:
Pro merito hanc debent, quam dudum in montibus Idæ
Nuda repromiſit noſtro tunc munere uictrix
Alma Venus: quodque eſſe poteſt ſpe certius omni,
Illam Diua mihi præſenti numine eandem
Obtulit inſomnis nuper, quo tempore anhelans
Tithoni coniunx uiſa haud mentita reuelat.
Hæc Paris affectu tanto, atque ardore loquutus
Tum fuit, ut fremerent uno omnes ore Lacænam.
Et, quanquam indigna hæc, nimiumq; audacia multis
Perculerint animos, cupido ſe opponere Regi

Nemo audet. magnis igitur conatibus altas
Obuertunt puppes, nixiq́ue tumentia torquent
Carbaſa, remigibusq́; actis petiere Gytheum.
Interea ad magnum placuit præmittere Atriden,
Qui longe ex Aſiæ ueniſſe renuntiet oris
Priamiden, Graio ut ſtatuat cum ſanguine fœdus.
Ille, quòd & Troiæ, Phrygijq́ue potentia regni
Nota fuit, ueterisq́; atrox iniuria belli;
Quanquam parte alia pacis mandata referrent:
Haud tamen antiquo fidebat prouidus hoſti.
Verum plura agitans cauta formidine damnis
Occurrit longe, & caſus proſpectat in omnes.
Mox ualidam egreditur multis ſtipantibus urbem,
Quà Phrygij aduentant proceres. at, proxima poſtquam
Aſtitit in medio gens Laomedontia campo,
Certatum officijs. fundit Menelaus Achiuum
Eloquium, & blandis dictis, uultuq́; ſereno
Suadum fruſtra mentes captare laborat.
Iamq́; intus cura ingenti ſolenne parabant
Iliadum, & feſtos pompæ regalis honores:
Atria ſternebantq́; toros: pars maxima longis
Inſtaurare dapes menſis, & dona Lyæi.
Verum, ubi dux Troum, tectisq; apparuit ingens
Turba uirum; læto ſtrepit omnis regia cantu,
Et uarij audiri ſonitus, quos Theſſala notis
Euterpe eſt modulata choris, ſtudioq; minori
Aetherias illam certes agitare choreas,
Et uerſare polos, orbemq; rotare canorum.
Ergo Phrygum his faciles animos, & pectora mulcent
Mollia: nec minus argutæ ſolertia gentis
Arte effingit opes. fuit ingens ambitus aulæ
Egregium oſtentans infra ſupraq; laborem,
Inſignemq; loci cultum: nam carbaſa circum
Addiderant picta, & miris uariata figuris;
Crebraq; odoratas ſpargebant lumina nubes,

Lumina

Lumina uel noctu radios imitantia ſolis,
Multaq; præterea. ſed, poſtquam Tyndaris ultro
Affuit, ut reliquas phœbeia lampas obumbrat,
Sic cunctis ſummo iniecit fulgore tenebras.
Apparet mira ſpecies compage, nec unquam
Talis uiſa alibi facies, oculiq; micantes,
Syderei illi oculi, uires & faſtus amoris,
Vnde faces ac uincla paret, promatq; ſagittas,
Queis hominumq; deumq; animas transfigere, & illas
Nectere, tum gratis longum queat urere flammis.
Obſtupuere ſimul Troes, & Dardanus imo eſt
Pectore concuſſus: quiq; umbræ ceſſit inani,
Spectans plura oculis extemplo immobilis hæſit,
Vixq; diu potuit, quod tanto ardore remotus
Optarat, propior ſpecimen cæleſte tueri.
Iamq; erat alte inſtructa abacis operoſa ſupellex:
Atque adeo menſis, cum lætum tibia cœnæ
Dat ſignum, & manibus lymphæ inſperguntur odoræ,
Promunturq; dapes; fruitur Troiana iuuentus,
Et ſtupet apponi, quicquid ueſcum unda, ſolumq;,
Fertq; aer, luxuq; eadem uariata liquorum
Mirifico, & laute altilibus condita popinis.
Interea ardentem Paridis præſenſerat æſtum
Oebalis, intentaq; acie pia ſuſpirantem
Viderat: egregia huic facies, corpusq; decenti
Robore compactum, cultuq; inſigne ſuperbo.
Inde nouum ſenſim perluſtrans fœmina amantem
Pectore totum haurit, ſeſeq; haud ſecius illi
Iam dedens placidos auerſo coniuge figit
Obtutus, blandoq; interdum lumine nictat.
Vtq; immenſus amor non caſu aut arte paratur,
Propoſitove animi ſimili, ſed imagine mentis,
Atque pari inſtinctu cœli; ſic illa Diones
Sydereo afflatu pulchrum formoſa tuendo
Iam calet, & cæco paulatim ex igne liqueſcit.

Sed, poſtquam dapibus modulos cecinere ſupremis,
Alternoq; hilares hauſerunt cymbia potu;
Dum iam læta alijs inſtant ſolatia ſomni,
At multa abrumpi metuit ſua gaudia nocte
Priamides, uiſu gratæ contentus amantis.
Verum ſe Alcibides optato tempore coram
Protulit, hic docttes inter ſpectatus Achæos
Pulſandiq; fides, & clarior arte canendi:
Vocale hoc tandem ſociauit carmine plectrum.
Non ego, ut Oceani fluxu, atque ambita refluxu
Perpetuo tellus ſtet parte habitabilis ulla:
Aut rerum arcanas quæram diſcernere cauſas,
Nec loquar, ut magnus ſemper circumferat orbis
Fixaq;, & aduerſis errantia ſydera gyris.
Nouimus hæc, & noſtra docet quæ plurima tellus.
At læta hos odere graues conuiuia cantus.
Apta feram, & lapſu ne cedat tempus inerti,
Dum cithara hæc crepitans; & dulcis lumina ſomnus
Feſſa premat, ſocius ueniet, noctisq; leuamen
Magnus amor, quem non fumantis Mulciber Aetnæ,
Ac Regina Paphi genuit, belliq; ſuperbus
Arbiter, aut tepido Chloris ſuppoſta Fauonio,
Nec Lucina parens, uel Nox ſecura creauit.
Nec Iouis apricis Peniæ concepit in hortis
Ex Poro, gaudenſq; humano ignauia luxu.
Hæc uetus, utq; reor, paucis noteſcit origo,
Hoſpes quam docuit caræ genitricis Apollo.
Poſtquam etenim ſummus genitor primordia rerum
Fecit, & his proprias uario diſcrimine formas
Indidit; admirata ſuum natura decorem
Protinus indoluit, tantæ quòd molis inane
Eſſe opus, idq; breui fruiturum cerneret æuo.
Nanq; rudi in mundo deerant conſortia rerum,
Nullaq; erat primis ſenſuſq; animiq; uoluptas,
Exitiumq; alijs inſtabat morte priorum.

Ac, ueluti dulcis cum proxima funera nati
Mæſta uidet genitrix, cui nobilis ubera ſucci
Præbuit, et uiduum ſeruauit caſta cubile,
Illa uicem optaret nato ſubiiſſe redempto:
At, ſimul ac uia nulla datur, ſpes nulla ſalutis,
Ingemit, & fletus amens effundit amaros:
Haud aliter magna hanc nutrix miſerata ruinam
Innumeris totum implebat ſingultibus orbem,
Talibus interdum exclamans: Ergo iſta peribit
Machina? et in primo hærentem ſermone moratur
Heu dolor, ò utinam non hæc fabrefacta fuiſſent,
Aut ego nunc morerer; ſed mors fugit atra uolentes
His ſimul ingeminat luctum, totamq; ſuborta
Irrorant lacrymæ nimbi uel fluminis inſtar.
Iam tum quinta dies aderat, iam pectore toto
Exhauſtus lachrymas humor, uocemq; negabat.
Ecce acrem neruos inuadere, et oſſa rigorem,
Ac uelli intortis ſenſit præcordia fibris:
Palluit, atque omnes immane perhorruit artus,
Et penitus ualido ad terram prolapſa tremore eſt.
Hinc medium ingenti patefactum eſt pectus hiatu,
Atque reluctatis erupit uiſceribus cor.
Quòd ſi tum lex mortis erat, ſuprema tuliſſet:
Triſte tamen uiſum eſt Ponti, et Telluris alumnam
Inſpectare ſuo cordi pia iuſta parantem,
Quod demum ut cineres mox occluſura ſepulchro
Detulit ad ſuperos, cæleſtiq; igne cremandum.
Sed Deus hanc largo diſiecit munere curam.
Nam, poſtquam magnæ altricis præcordia flammas
Hauſere, in uariam mutari cœpta figuram;
Hinc leuis aura ſimul fuſa eſt, et amoris origo
Apta inferre animis quaſcunque ſimillima formas:
Quale refert oculis ſpeculum fulgore metalli,
Splendentiſq; uitri; quid enim non imprimit hæc uis?
Ergo amor afflatu leni ſimul omnia luſtrans,

Viuenteis animas mira uirtute repleuit,
Et prima oſtendit reparandæ ſemina prolis.
Nanque modis ſe inter uarijs animantia iunxit,
Atque rudes hominum iucundo fœdere ſenſus,
Molliuitq; iras, & pectora cruda ferarum:
Idem etiam tulit, ut proprijs ex fœtibus herbæ
Propagent genus, & natiuo è germine plantæ;
Caudicibuſq; hederam, uitemq; innexuit ulmis.
Præterea, quod quiſque cupit, fruiturq;, fugitq;,
Nimirum pater omnipotens conceſſit amori.
At uos, cura agitat quos interiore Cupido,
Aſſiduoq; æſtu torquet; nam pallida certe
Hos facies, imiq; notant ſuſpiria cordis:
Prima licet caſſo proceſſit pugna labore,
Pergite; fœminea hæc feritas ſuperatur amando.
Talibus arriſit feſtiuo murmure cœtus,
Id q; Paris conatus erat. ſed uiribus ullis
Neſcit amor, uel flamma tegi. pudor ilicet ora
Purpureus tinxit, tectiq; expreſſa caloris
Signa dedit: magis illa ſuum ſed cauta ruborem
Actutum occuluit defricti luminis aſtu.
At non intentum Iliaden hoc fugit amoris
Indicium, ſpemq; erexit potiore fruendi
Succeſſu (ſic tentat amor) iamq; hora quietis,
Poculaq; accierant torpentem crebra ſoporem.
Sed non ulla quies, nullum eſt ſolamen amantis.
Nanque, ubi depoſuit longum Ledeia cultum,
Accubuitq; toro, tunc omnia mente reuoluit
Viſa prius, lætoſq; oculos, floremq; iuuentæ,
Priamidumq; genus, Troianæq; urbis honores:
Hinc maiora agitat, quàm uel conſpexerit amens,
Vel ſpectare queat: ſed mox ſibi conſcia turpes
Caſtigat curas, ſacroq; aduerſa pudori
Arguit hæc genio inuito; tum uertitur ardens
In latus obliquum, & quærit reuoluta quietem.
At

At non cedit amor; mutata ſede repugnat
Acrius, & Paridis manifeſtos obijcit ignes,
Conceptumq; illa ſuprema uoce ruborem.
His actam, & motu uerſantem membra frequenti
Excipit Atrides, & blando murmure poſcit,
Qui langor, quæ cauſa repens ita uiſcera quaſſet.
Illa acrem, haud falſò, cordis conqueſta dolorem,
Coniugis infeſti illecebras, atque oſcula uitat:
Dardanidenq; ſuum repetit, nec pugnat amori
Amplius; huic ceſſit. grauior ſed cura recurſat,
Conqueriturq; magis; ſtudium ſuſpirat inane,
Vanaq; uota dolet, ſecumq; ita corde uolutat.
Quid iuuat, heu, miſeram his curis accendere mentem,
Qua nunquàm extingui ualeant? ergo ipſa pudoris
Sacra, fidemq; amens uiolem, aut pia fœdera ſoluam
Regalis thalami? nomenq; inſigne Lacæna
Inficiat? grauior noxa eſt, quo dignior errat.
Præterea haud facile eſt oculos, curamq; mariti
Fallere peruigilis, tantumq; admittere Regem:
Durum etenim ignaram tot ſuppoſuiſſe periclis.
At nihil effugiam: feruens amor omnia uincit,
Et nouit reperire uiam tempusq; furori.
Sed, quod nos magis atque adeo ad præcordia torquet,
Forte per immites infeſtis nauibus undas
Dardanus ire parat, uel ſaltem certus eundi
Eſt meus ille breui: meq; & mea uota relinquet.
Deditus imperio eſt genitoris, & ardua tractans
Conſilia, haud poterit noſtris intendere rebus.
Sunt tamen ardentes flammæ, tua tela Cupido
Haud leuia, & uis nulla tuis ſe uiribus æquat.
Quòd ſi pulchra Iouem genitrix deduxit olympo,
Cur non hac hominem forma retinere ualebo?
Inde animum partes Helenæ uerſabat in omnes,
Queis captum uinclis teneat, quave arte moretur.
Ceu canibus ſtudio ingenti uenator odoris

Quum capream excuſſit, multave indagine ceruum,
Si rurſum elabi in ſaltus exploret opacos,
Acrius inſequitur, nodoſq; & retia tendit
Circundans omnes aditus, fertq; illius ægre
Effugium, quem iam menſis inferre parabat.
Haud minus interea curarum fluctuat æſtu
Priamides, neque adhuc ſomnum iam luce propinqua
Accipere, aut potis eſt depellere mente Lacænam.
Nunc raram effigiem ſenſu miratur inerti,
Nunc ardore furit, ſortem hanc modo triſtis Atridæ
Inuidet, interdumq; notas, & plurima grati
Signa animi repetens, ſpem læto in pectore nutrit.
Tum ſecum exclamat: Quantum mihi grata fuiſti
Alma Venus: mali donum quo munere penſas.
Ipſe equidem pueri arbitrium nunc iure tuebor,
Muſarum ſpreuiſſe choros, artemq; Mineruæ
Et Iunonis opes: quæ ſi ſua ceſſerit æthra
Regna, meam prudens malim præferre Lacænam.
At cur hæc mea, perpetuo quæ addicta mariti eſt
Imperio, niſi furta parem inſignemve rapinam?
Certum quippe ſedet facto quocunque potiri
Velle Helena, & cunctis Paridem obiectare periclis.
Sed quid agam? diuæ ne auſim turbare quietem?
Quòd mihi ſi triſti euentu forte irritus ibit
Conatus, iam ſtat miſeram hanc abrumpere uitam
Præcipitemq; animam tenebras extendere ad imas.
Ergo age, quæ talis felicia gaudia fructus
Porrexſti prior, immenſo ſuccurre labori:
Stella micans tu, duxq; meæ es, ſpesq; una ſalutis.
Tum uelut ignota feſſus regione uiator
Si à recta detorſit iter, nec longius audet
Vadere, præteritum tædetq; reuoluere callem:
Hinc campi in medio, denſave ſub arbore ſiſtit,
Si quem forte uia comitem qui pergat eadem,
Proſpiciat, quive ancipites regat incola greſſus.

Haud

Haud ſecus Iliades, poſtquam ſententia nondum
Conſtitit ulla ſatis, cauſas ſimulare morandi
Cogitat: interea ſuccurret tempus agendis.
Talia uerſarat dudum, cum feſſa ſubiuit
Tardus membra ſopor, rurſumq; oblata Dione
Conſilium probat, & mentem læto omine firmat.
Iamq; refulgebat radijs lux alma coruſcis,
Et properans cæli primam tranſcenderat oram:
Cum Regem Paris immenſa ſpe lætus adibat,
Cumq; illo frater iucunda fronte Cremones,
Atque Acamas Antenorides, natusq; Dione,
Primoresq; alij, nec non Priameia pubes,
Tum quoque parte omni regalia tecta fremebant,
Muneribusq; intenta ſuis Spartana iuuentus,
Itq; reditq; frequens, ac longo murmure complet
Atria, quadrupedes cornu, freniſq; columnas
Obſtrepitant circum, famulorumq; intonat ordo,
Liminaq; haſtati ſeruantes prima latrones.
Rex intus Danaûm ueneranda fronte coronam,
Sceptra manu geſtans, populorum audire querelas.
Stant iuxta lecti proceres, patrumq; ſenatus,
Nobiliumq; chori. quò poſtquàm Troius heros
Acceſſit, turbaq; fuit cedente loquendi
Copia; tum primum longis ambagibus orſus
(Vt memorem faciebat amor) mandata parentis
Falſa refert, cauſaſq; moræ prætexere tendit.
Nanque ſuæ infelix repetens ab origine fatum
Vrbis, & illatas Graiorum à gente ruinas,
Venit ad Heſiones lachrymas; ubi plurima queſtus
Aeternum Telamoni odium, nec tempore longo
Extinctam rabiem, Phrygij tum dedecus ingens
Nominis, & Priami iuſtas exaggerat iras.
Inde Aſiæ imperium extollens, opulentaq; regna,
Parentes dicto populos, totq; inclyta fratrum
Nomina commemorat, metuendoſq; Hectoris ictus.

Quodq;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quodq́; obiecta foret tellus Argiua periclis:
Sed tamen Iliaco Regi pia numina mentem
Bellorum exortem, & cupidam inſpiraſſe quietis,
Hocq́, ipſum ſtudio adductum, quo cuncta duello,
Præferre, immenſo teſtatum proderet orbi.
Iam tentaſſe omnes aditus, munusq́; ſupremum
Delatum Atridæ, cuius prudentia cunctos,
Et præclara fides, uirtusq́; anteiret Achæos.
His ille ut placidas iandudum intenderat aures,
Sic diuerſa mouens animo, uix conijcit unde
Hæc pietas, & tanta inſit fiducia Teucro.
Verum adeo propriæ capit omnes gratia laudis,
Sicq́; agit, ut falſo laudantis dicta ſequatur
Certa fides. igitur blanda deceptus amantis
Arte Lacon haud pauca refert, & nititur hoſti
Soluere Dardanio grates, tum recta probare
Conſilia, atque animos, & multis fœdera iungi
Poſſe modis aperit; nec ſe, cui credita tanta
Res fuerit molis, caſu quocunque referre
Poſſe gradum. tandem imprudens, ne cœpta relinquat,
Hortatur Paridem, ac præſens euenta moretur.

LIBER

FRANCISCI SFONDRATI,

DE RAPTV HELENAE

LIBER SECVNDVS.

ILLE animo uictor, poſtquam Lacædomone ſiſti
Regis ſponte datum eſt, omniſq; exinde receſſit
Mente pauor, iam nunc uacat indulgere furori:
Nec mora, nec requies, ſtudium quodcunq; puellam
Vertit in Oebaliam, totuſq; incumbit amori.
Sæuus amor quem non mirando numine cogit
Oblitum propriæ rationis in altera ſeſe
Pectora tranſferre, atque alieno uiuere ſenſu?
Cuncta ergo aggreditur, nulla intentata relinquit
Conſilia, ut pulchre teneros confirmet amores
Tyndaridis: Veneriſq; intendit callidus artes.
Ac, ueluti auroræ, Zephyrive profectus ab oris
Mercator, quem ſpes optati maxima quæſtus
Traxit ad emporium, quo mercibus emptor opimis
Accedat; uarias operoſoq; ordine cautus
Promit opes, ſtudiumq; fori ſibi comparat omnis:
Sic Troianus amans gemmiſq;, auroq; coruſcans,
Et luxu ueſtes patrio, Serumq; nitenteis
Indutus, nunquàm ornatu bis cultus eodem
Præſtantem augebat formam; corpuſq; labore
Exercens uario uires oſtendere, & artem.
Seu iaculo interdum, aut libratæ pondere maſſæ,
Siue fuga certet uelοce, agilive palæſtra,
Primas ſæpe tulit, uel quando interritus acrem
Vrget equum, pedibuſq; inſtans, frenoq; retentans
Aut agit in gyrum, aut ſaltu, curſuve fatigat.
Interdum paribus ludit ſi prælia turmis,
Victori acclamant omnes; ſeu ſpicula uibrat,
Siue leues uacuum iaculatur in aera cannas.
Nec minus & grauibus cum pugna edicitur armis,

Intenduntq; equites præſcripto in limite curſum;
Aduerſa in medio occurrunt acie æquore bini,
Aeraq; pulſa ſonant, fractiſq; haſtilibus æther.
Hæc Paridi ſuadebat amor: ſed gratius illud
Tempus erat, placidi cum cernere lumina uultus
Contigit, & longo præſentem adſiſtere tractu.
Hinc ſacras ſolenneſq; aras, ludoſq; frequenter
Lætus adit, ſegneſq; horas, atque ocia uitat.
Sæpius & lauta in multam conuiuia noctem
Exhibuit, populoq; hilares plaudente choreas.
Sed quid agat? neque enim curas narrare latenteis
Eſt locus, & coram lacrymis orare ſalutem.
Aeſtuat impatiens ſe nec ſuccurrere uotis
Poſſe ſuis, nec quem Argiuæ diſcernere gentis,
Cui tantam fidens committeret aduena molem.
At Regina pari dudum confixa ſagitta
Virus alit, ſæuitq; nocens in corde uenenum,
Inq; dies late ſerpit, creſcuntq; dolores,
Dum iuge in Teucro ſtudium, aſſiduumq; laborem
Perdita, totq; ſui præconia ſentit amantis:
Iam quo plura haurit, maiore incenditur æſtu;
Vritur, atque imis conſumitur ægra medullis.
Sed, poſtquàm ualido nequicquam obſtare furori
Nixa fuit, fruſtraq; iterumq; iterumq; repugnat;
Victa diu tandem optatis laxauit habenas.
Inter Tyndareas comites non ultima Tecle
Tum fuit, arcanas Helene cui pandere curas
Suerat, & à teneris ſemper conuenerat annis.
At nunc grata magis Phrygio quòd creta fuiſſet
Sanguine: nam multas inter captiua puellas
Veniit, Herculeæ quo tempore pergama dudum
Euertere manus, & Ledæ eſt tradita matri.
Vnam hanc poſſe uidet curis afferre quietem
Oebalis: & rerum ſeriem, firmataq; promens
Vota animo, fuſis lacrymis, linguaq; trementi
Orat opem ſupplex, & ſæpe amplexa precatur.

Illa

Illa graues dominæ ardentis miſerata querelas
Annuit, ac blandis adhibens ſolamina dictis
Læta breui ſperare monet, remq; ordine texit.
Nec cœptum remorata, ducem mox callida Teucrum
Conuenit, & patriam, nomen, caſusq; retexens,
Eloquitur molli quantum ſit grata Lacænæ,
Et quàm fida diu, totque illi aſſueta per annos.
Quòd ſi Tænariam naſci fortuna tuliſſet
Inuida, iam felix, cunctisq; beatior eſſet.
Verum dulcis amor patriæ, & natalis origo,
Deſertis etiam quæ in rupibus afficit ortos,
Arripit hanc ſortem nimiaq; cupidine ſemper
Ardentem impellit Phrygios agnoſcere campos,
Et patrijs thus ferre Deis, ſedesq; parentum
Viſere, cognatoq; & amico fœdere iunctos.
Hoc igitur miſeram tantum depoſcere munus,
Si quando Iliacas claſſem eſt ducturus ad oras,
Se deferre uelit: Reginæ accedere nutum
Spem fore, quæ nunquàm repulit maiora petentem.
Audijt hæc hilari uultu Priameius heros,
Atque illam ratus Idæo ſibi nomine fidam,
Talibus alloquitur: Nulla hac mihi gratior unquàm
Nuntia, nec noſtro uenit magis apta dolori,
Optatisq; tuis: nam, quod nunc Tecla petiſti,
Quis neget ignotus? ſed enim me plura fatebor
Debere, ac patriæ communis origine nexum.
Multum hoc pondus habet, meq; ipſum impellit, ut auſim
Ilicet arcanos ſoli tibi credere ſenſus.
Magna ſequor, ſed quæ interdum docet uſus obire.
Nec te ſuſpenſam teneo, neque uera ſilebo:
Inſanis agitor curis, & proxima leto
Vita labat, iamq; in uarios habitura receſſus.
Nec patet ulla ſalus peſti, quæ ſors tibi dudum
Cognita: nam tantum quis non præſenſerit ignem?
At cur iam moror effari? me Tyndaris urit,
Exitiumq; feret, niſi ueſtro munere uiuam.

Haud me chara fugit nutrix nimis ardua poſci,
Et minus apta meæ, ſed non indebita ſorti.
Certa loquor, nec Teclæ unquàm mentita referrem.
Verum nunc minime fas eſt arcana Deorum
Pandere conſilia, & mentem; non id tamen unum
Prætercam: pacta debent mercede Lacænam
Dij ſuperi, ſpeq; hac fretus Lacedæmonis urbem
Acceſſi: uotumq; ſequar, nec mè ardua terrent
Cœpta, ſed egregiæ uictorem euadere pugnæ,
Decretumve mori, & ſolari hoc funere manes.
Tu nunc una potes triſtem hunc auertere caſum,
Et nobis curam atque animum mollire puellæ.
Sic poſtquàm effatus, collatis Troada donis,
Promiſſiſque onerat. ſolata eſt illa labantem
Spem præſtans dubiæ menti mandata referre.
Nec placuit tunc ardenti ſimul omnia Teucro
Prodere, & in duris quia maior gratia rebus
Debetur, ſæpe ancipiti ſpe luſit amantem.
Verum, ubi nec quicquam uotum commune duorum
Seque inter uarijs ſignis, nutuque loquentes
Diſſimulare poteſt, curas iam detegit omnes,
Itque reditque frequens Tecle, quam nomen euntem
Crebrius excuſat Phrygium, & nunc dicta reportat
Mollia, nunc longo defertur epiſtola textu
De re plura loquens, leuibus modo plena querelis
Quandoque immodico deſignans gaudia luſu.
Interdum proprio iuuenum fabricata labore
Dona libens, uarijſque notis inſcripta ferebat.
Sic igitur ſtudijs ardent concordibus ambo:
Mens eadem, ut tuto læti potiantur amore,
Ilicet argolica pariter decedere terra.
Interea motu uario Minoia proles
Diſſidet, antiquos Atrei dum plurima cenſus
Et multas partitur opes, litique ſupremum
Impoſitura diem Cretæa edicit in urbe.
Linquit & Euboicas Belides inclytus oras,

Et Clymenes, Merionq; potens, Dictyſq; uocantur,
Minoisq; alij quacunq; ex parte nepotes.
Poſcitur & coniunx Helenes: at certus eundi
Non uidet infelix, qua res ſub mole relinquat;
Nec patriæ damnum, turbandamq; Hellada ſentit,
Quodq; adeo inſanum eſt, formoſam credere pulchro
Oebalidem Teucro: nec tum diſcordia gentis
Eſt animo, cladesq; utraq; ex parte ſequutæ
Iampridem; nec Theſeæ eſt memor ante rapinæ.
Fallitur Atrides: Paridemq; affatur, inani
Conſilio repetens cauſas, ſubitiq; receſſus
Commoda, ut optatæ ſtudio conducere pacis
Id ualeat, quòd tot præclari nominis unà
Conueniant Reges, quibus hæc ſint ardua curæ,
Et queis cum uario tractari examine poſſint.
Ipſe modo ut maneat, rurſuſq; iterumq; precatur.
Annuit immoto is uultu uix pauca loquutus:
Et ſimulans uiſu curas ſpem pectore calat.
Nec mora Tænario Regi, iamq; ire parabat,
Cum falſos dantem gemitus, fictasq; querelas
Vxorem alloquitur, lachrymantiq; oſcula figens
Commendat Spartæ ciues, populosq; merenteis,
Et paruam Hermionen: mandat ſuper omnia curam
Hoſpitis Iliaci.
Inde abit Aegæum diſcindens remige pontum.
At non ſolicitos ſors hæc effugit amantes.
Iamq; optata diu tandem ueniſſe tuentur
Tempora, nec labor eſt; concors ſententia perſtat
Ire uiam, ceſſitq; dies, nihil amplius obſtat;
Nil metuunt, poſtquam tutos diſceſſus Atridæ
Reddidit inuiſi, nullaq; ex parte requirunt
Officium Tecles: ineunt ipſi improba coram
Conſilia, infamemq; fugam, nec plura morantur.
Inſtruit Iliacam deſueto remige claſſem
Dardanus; hinc Helene collectis ordine rebus

Dirum carpit iter, chariq; oblita pudoris
Tota abit in uetitum, furijſq; Cupidinis ardet.
Nec natam patrioſq; lares, aut impia famam
Curat, ut illicito ueſana incumbat amori.
Nec minus auſa probant comites infanda ſequutæ.
Tum læta ante alias Tecle, geminæque ſorores
Sanguinis Atrei, famoſi criminis ambæ
Participes ſociæque, œſtro quas ſæuus eodem
Extimulabat amor. Acamantem deperit Aethre,
Altera formoſo Clymene eſt addicta Cremoni.
Talis, dum pelagi ſulcaret adultera fluctus,
Oblata eſt procul in magno uetus inſula tractu
Dicta prius Cranae Sporadum intermixta latebris;
Quæ licet aſperior, rariſq; habitata colonis,
Nota tamen, clari quòd nominis educat herbam
Serpillo ſimilem folijs, ac ceſpite largo,
Cui lenire cutim, & uenerem placare poteſtas,
Atque mero infuſæ lætos oſtendere uultus.
Hic claſsi requies, blandoſque excerpſit amoris
Priamides fructus: cuius ne longa periret
Fama boni, gratæ ponens monumenta quietis
Vno Helenes herbam, atque locum cognomine dixit,
Inſtituitq; ſacris templum ſolenne Diones.
Inde iter inceptum peragunt, & cærula uerſant.
Nullus tum liquido glomeratus in aere nimbus,
Nullus erat placido circumfluus æquore uortex,
Et flatu Zephyri tendebant uela ſecundo.
Ipſe repugnantes Boreas tunc mitior auras
Preſsit Erichtheæ repetens ſua furta puellæ.
Suſcipit infauſtum raptor Priameius omen,
Atque Helenæ thalamos, & non inglorius ultam
Conſpicit Heſionen: ſed enim contraria uotis
Scilicet humanis aliam Rhamnuſia ſortem
Obtulit, & capto fecit deſiſtere curſu.
Nam telluris inops Dido ſed ditior auri

Pigmalionæas

Pygmalioneas fugiens Sicheia fraudes
Affuit in medio Troianis obuia ponto.
Illa quidem patrijs haud iure penatibus exul,
Nec ſibi ad auriferum ſedes optauerat Hermum,
Feliceſq; Arabas, aut fertilis horrea Nili,
Vicinoſq; Aſiæ campos: quin cauta petebat
Italiam, mundique decus, niſi fata repugnent.
Verum alio infelix agitata furentibus auſtris
Inclinarat iter Græcorum ad littora uerſus.
Quæ procul ut uaſto conſpexit in æquore Teucros
Obiectas inferre rates, iam gnara malorum
Et grauiora timens (neque enim metuiſſe cauendo
Aduerſa indignum eſt) claſſem ſubſiſtere iuſſit.
Interea ſolido direxerat ordine proras
Et pila, & contos, & ferrea uincla, trabeſque
Struxerat, harpageſque, informiaque armamenta,
Quum prior auratum Phœniſſa apluſtre uirago
Impellens Tyrios dictis accendit & auſu
Egregio, ſuadetq; ulciſci coniugis umbras.
Nec ſecus Hectorides Cretenſes tendere contra
Cappadoceſue ratus piratas, quiue pelaſgum
Sæpius incurſant Cilicum naualibus æquor,
Multiiuges ſtatuit porrecta in cornua pinus,
Implicuitq; leues ſtabili compage carinas.
Hinc tribulos, plumbumq;, picemq;, & ſulphur, & ignes
Telaque terrificique parat tormenta fragoris.
Præterea Aeneam mittit, qui uerbere crebro
Vndam agitans prima exploret diſcrimina Martis,
Iamque ille haud procul intrepidam properabat Eliſam
Sæuior, & pugna expleſſent præcoce furores:
Nec Carthago olim, uel fors nunc Roma maneret.
Quum ſol heſperijs condens in fluctibus orbem,
Noxque incerta animis ardentibus interceſſit.
Inde fatigatis repetentes agmina tonſis
Laſſatos curare artus, & ubique locantes

Excubias

Excubias atris ſpeculari infida tenebris.
Tempus erat quo cuncta ſuis animalia curis
Soluit primus amor ſomni, quum Cynthia nobis
Imminet, aduerſoq; micat ſub cardine Titan.
Tum Regina ſago recubans Sidonia uili
Ambiguam ſero captarat laſſa quietem.
Ecce uiri remeans à ſedibus umbra beatis
Tales uiſa pio eſt effundere murmure uoces.
Ille ego ſum, Dido, cui maxima coniugis olim
Cura fuit, dum felices ſimul egimus annos.
At, poſtquam infanda diſſoluit cæde hymenæos
Frater, & infernas ſolum detruſit ad umbras;
Sollicito manes, & nunc Ducis ante tribunal
Tartarei, aſſiduosq; Hecatæ ſimul edere queſtus
Non moror, euentu ut cedant tibi uota ſecundo.
Ipſa maritali luſtraſti funus honore
Corporis effoſſi, & celaſti marmore buſtum.
Hinc ego (ſunt iuſtis ſua præmia) uere potitus
Perpetuo, patriæque adſum felicis alumnus.
Ergo meas animi penetralibus accipe uoces,
Quæ ſeri obſeruent utinam mandata nepotes.
Deſere fatales pugnas, infauſtaq; ſemper
Bella ſequi, nec ſic noſtros ulciſcere caſus.
Nam neque Pygmalion, quam cernis in æquore claſſem,
Ducit, & hoſtiles dux non oſtenderet iras,
Ni prior audaci tentaſſes prælia remo.
At fuge Tyrrhenos dulcis Sichæia campos
Diuerſoque aliam ſortire ſub æthere ſedem
Quòd ſimul ac profugæ fatalia mœnia genti
Fixeris, hæc precibus ueniet ſors proſpera noſtris.
Arduus extremos ubi Gallia tangit Iberos,
Surgit apex, latere in pelagus qui tendit utroque,
Forte Pyrenæum dicent, nam monte frequenteis
Lucos Syluicolæ paſtores igne cremabunt,
Inde fluens calidis argentea bractea uenis

Occluſum oſtendet locupleti in rupe metallum,
Quo claram Tyrij patriam ſceptrumq; parabunt
Immenſum: quid enim mortale potentius auro?
Dixit, & intentam monitis excuſſit amantem.
Paruit illa uiri dictis, demiſſaq; tendi
Vela iubens, tandem uarijs agitata procellis
Condidit in Lybico uenalem littore Byrſam.
Interea trepidæ metuens Sichæus Eliſæ,
Ne rapido inſtarent fugientibus agmine Troes;
Inuocat Elyſios manes, Herebumq; potentem,
Et mox Iliacas miro ciet impete naues.
Iamq;, illæ ut ſteterant, curſu uertuntur in Eurum.
Vixq; fide dignum eſt pinus abijſſe natantes
Ocyus, Eoo quàm ſtridula cuſpis ab arcu
Euolat, aut quàm auidus prædam quum deſpicit ales:
Segnius & celeri ſimulat deſcendere lapſu
Sydus, & excuſſum demittitur æthere fulmen:
Tum quoque flaminibus nullis, ſed concita motu
Vela tument, mugit clauus, ſtridentq; rudentes.
Scilicet obſtupuere omnes, hebeteſq; ſopore
Prærepto, proras crebro & percurrere puppes.
At quid agant? nec enim ſiſti tunc arte, nec ulla
Vi potuere rates: auget nox alta timorem,
Menſq; memor ſceleris. iam ſolo id numine Diuûm
Eueniſſe putant: ſed iniquum in crimine Regis
Imperium excuſant, ſuperoſq; frequentibus ergo
Sollicitant timidi uotis. at Dardanus aſtrum
Suſpiciens Veneris, tacito uix murmure, cœli
Implorare fidem, & Diuæ promiſſa recenſens,
Eius ſe nutu impulſum iuſſiſq; ſuaſum,
Nec falli fas eſſe Deis auctoribus ullum.
Tum matutino Phrygijs apparuit ortu
Lucifer, & dubio firmauit lumine curſum:
Iamq; nouam pallens lucem oſtendebat Apollo,
Purgabatq; udas tetra caligine terras;

Quum procul apparet turris, tabulataq; nautas
Summa monent pelagi uitare pericula falſi.
Hanc fertur celſo ſic uertice Soſtratus olim
Erexiſſe ſuper ſcopulum, ne tanta pateret
Externis iactura uiris, nam cautibus æquor
Difficile ignaros reflexis falleret undis.
Protinus exultant Teucri, terramq; requirunt.
At uada perluſtrans clauumq; & dirigit axem
Puppe ſedens alta rector, nautisq; ſuperbe
Intonat, & magno torquet terrore flagellum.
Sicq; diu refluis laſſato remige tandem
Fluctibus, optato conſiſtunt littore Troes.
Hic extrema duos tellus Aegyptia colles
Proijcit in pelagus, per quos Pharus inſula tractu
Clauditur oblongo, geminoſq; ad cornua portus
Efficit: eoos Acrolochias aſpicit ortus,
Heſperias alter Eunoſtus uergit in oras.
Quo poſtquam egreſſa eſt totis Priameia caſtris
Turba, Deis reduces inſtruxit Dardanus aras.
Ipſe coronatis Helena comitante capillis
Prima ſalutari ſoluebat uota Dianæ.
Proteus interea Neptuni ſede relicta,
Cæruleiq; gregis ſtudio, de more uetuſto
Gaudenteis populos, gratamq; inuiſerat urbem,
Atque graues abigens curas, magno agmine campos
Circumierat, trepidamq; ſagaci indagine prædam
Immaneſq; feras multo ſudore premebat.
At, poſtquam occiduos procul inſpexere receſſus
Solis equi, celeres decliui tramite currum
Ponè trahunt, notaſq; diu ſitientia in undas
Labra, & ſpumantes properant immergere rictus.
Tum quoque defeſſis gratæ indulgere quieti
Tempus adeſt Pharijs, reflexaq; cornua buccis
Aptant, & tumidis, quanta eſt uis, faucibus efflant.
Ilicet emiſsis reboant clangoribus antra,

Prataq; cum ſyluis, & denſior arbore lucus.
Inde canes uarijs ſtrepitum latratibus augent
Aethera ſcindentes, &, quo pauloante ſolutis
Gaudia teſtati uinclis, dum ſanguine paſci,
Et ſimul hoſtiles ſperant euertere fætus,
Nunc ſimili (ſua cura feris) clamore queruntur,
Impaſtiq; dolent, & multi ad clauſtra reduci.
Nec mora, conueniunt trepidi, aptaturq; paratis
Copula, nectunturq; ſuis ſua uincula millis.
Illi autem æterna contenti pace reuertunt:
Nam neque ſollicito ſulcantes remige pontum
Infeſtaſq; artes, atque impia bella peroſi,
Ocia ſecuro uitare inimica labore
Inde ſitim ualido extingunt ſudore receptam,
Et placidam aſſiduo carpunt ſudore quietem,
Qui læti curas remouent ſudore diurnas.
Iamq; propinquabant primi, præmiſſaq; longo
Ordine prodiderat uementem pompa Tyrannum;
Cum Teucer prædæ metuens, poſtquàm omnia cautis
Diſpoſuit ſignis, tum primum occurrere Regi
Cenſuit, aſſuetumq; Aegypti doctus honorem
Ad genua iniunctis manibus ſic Protea ſupplex
Affatur. Si magna tibi uis cognita dudum
Fortunæ & pelagi, cunctiſq; exinde timendum eſt:
Aequum erit, ut noſtros foueas Rex optime caſus.
Troia mihi natale ſolum, Priamuſq; ſuperbæ
Rex Aſiæ pater eſt, & quæ tulit Hectora mater,
Ille quidem (ut ſemper genitorem gloria nati
Excitat, & uirtus fit clarior omnis agendo)
Ne mea, ſi qua ſubeſt, æuo torperet inerti
Inſita uis animi; claſſem, ſocioſq; parauit,
Et primum ad ueteres iuſſit dare uela Mycenas,
Si qua hoſtes poſſent induci ad fœdera Graij.
Iamq; ego tractata, ſed fruſtra, pace redibam,
Atque omnes pelagi caſus ſuperaſſe uidebar.

At uetuit, uotumq; diu fors uana feſellit.
Nanque per Aegæos claſſis contraria fluctus
Obſtitit, & cœpto fecit deſiſtere curſu.
Nox erat, & prima ſperabam prælia luce,
Quum uis mira freti, ſeu uis fuit illa Deorum,
Compulit inſolita nos tantum errare procella.
Et, quoniam magis eſſe ſolet ſuſpecta latentis
Cauſa fugæ (caput hoc teſtor ſuperoſq; minaces)
Hæc nos haud ueſtris pacata ad littora damnis,
Nec ueniſſe dolo, ſed ui pelagoq; coactos.
Tu profugos admitte precor, ſi præmia tanti
Officij expectas, aut te clementia ſummo
Sceptro digna mouet, uel priſcæ ſtirpis origo,
Nanque Phryges hominum fama eſt uixiſſe priores,
Vnde trahit ſobolem Memphis cognata ſecundam.
Hæc licet audierit commoto pectore Proteus,
Ambages Paridis fictas, & crimina noſcens,
At ſic pauca refert. Prognate è ſanguine gentis
Laomendoteæ, nec tempus plurima fandi eſt,
Nec locus, at requies captanda, & quæ hoſpita cunctis
Aula patet, nulloſq; arcere penatibus unquàm
Sueta, pio uos hoſpitio laribuſq; benignis
Suſcipit una omnes. mecum ſuccedite tectis:
Hic tuta eſt ſtatio, dabitur lux altera noſtris
Colloquijs, longoq; mihi ſermone terenda.
Hiſq; ſimul Phariam Teucris comitantibus urbem
Ingreditur, ſimul & Troianæ plurima claſſi
Ferri dona iubet, niueæ funalia ceræ,
Et fructum Cereris genialem, & munera Bacchi,
Arboreos etiam fætus, tum pinguia ſeptem
Viſcera taurorum, uerubus pars aſſa rotatis,
Pars infrixa adipe, atque undanti elixa lebete.
Sic igitur, quique in tectis, ratibuſq; morantur,
Dardanidæ penitus gaudent, pelagiq; labores
Conuictu ac uino pendunt, & corpora curant.

At

At non Iliacus curis abſoluitur heros;
Sed placidos luſus, elapſaq; gaudia dudum
Irrequietus amor triſti formidine penſat:
Cuncta timet, ſceleriſq; memor pulchræq; rapinæ,
Et ſimul ambiguum pectus, ſuſpectaq; Protei
Verba putans, odit læto conuiuia plauſu,
Inſomnemq; agitat noctem mens conſcia noxæ.
Innumeros animo curarum ſuſcitat æſtus.
Et iam ſi qua foret digreſſus copia, primum
Pergat iter, ſolusq; Helena comitante recedat.
Verum incerta fugæ ratio eſt, & mœnibus urbis
Clauditur, & gyris ingentibus Amphitrites.

Liber

FRANCISCI SFONDRATI,

DE RAPTV HELENAE.

LIBER TERTIVS.

INTEREA miſeris lucem mortalibus almam
Protulit è roſeo coniunx Tithonia curru.
Hinc ſurgit iubare exorto Priameia pubes
Stipatura Ducem. cumq; imo in limite cœli
Luſtraret radijs magis alta cacumina Phœbus,
Ad Regem ſimul accedunt. tum ſacra parabat
Ille Ioui ſummo, & Paridem in penetrale uocari
Arcanumq; adytum mandarat, eoq; Cremonem
Atque Anchiſiaden, magnoq; Antenore natum.
Nulla mora eſt: animis pariter nutantibus aras
Secretas adeunt, & raro inſpecta prophanis
Antra uiris. aderat media pius æde Sacerdos
Inflexis genibus, rectoq; ſedilibus altis
Pectore inhærebat ſpectans orientia Solis.
Proxima fumanti redolent altaria thure,
Luminibusq; micant, uarijsq; affixa figuris
Signa ſuper, tabulæq; & certa uolumina uatum.
Ipſe ergo Iliacis templum ſubeuntibus ullo
Non motus nutu, ſed longo murmure dudum
Numen adorabat, uotisq; ardentibus omnes
Corporis affecti curas, & pondera molis
Terrenæ excutiens paulatim ad ſydera puram
Mentem extollebat, ſuperosq; ſolutus adibat.
Ecce autem ſubito aſpectu palleſcere uiſus,
Sanguis abit, nullæ apparent in corpore uires,
Nec uenas, artusve, aut pulſat ſpiritus auras,
Intentisq; oculis, & parte immobilis omni
Hæret, ut exanimum corpus gelidumq; cadauer,
Aut opus, egregio quod tandem marmore finxit

Docta

Docta manus, tota penitus compagine uiuum
Aſſimulans, cui ſola animæ uis deficit alma.
Verum ubi iandudum monſtrum hoc mirabile Protei
Attonitis iuuenes animis ſtupuere, uiciſſim
Ambigui ſeſe aſpectant, nec panditur ulli,
Quid ſperet metuatve; adeo tum uiſa repente
Lux illi emicuiſſe oculis, torpenſq; moueri:
Non ſecus ac longo è ſomno, atque è nocte profunda
Qui primum excitus, ſubijt uitalis ab omni
Parte uigor, ſolitoq; intingitur ora colore.
Mox, ubi cunctatus paulum ſeſe ipſe recepit,
Hæc ſolio incumbens diuino eſt ore locutus.
Dardanij heroes, quæ ueſtros plurima ſenſus
Relligio, mixtaq; premat formidine cura,
Cernere conſpicuum eſt: quando hæc miranda Deorum
Atque ignota prius licuit tam clara tueri.
Sed, poſtquàm fatum alterius numenq; coegit
Captum linquere iter, uoſq; has accedere terras,
Plura manent: quod fruſtra alij multa arte requirunt,
Vobis ſponte datur ſeclis patranda futuris
Noſcere, ſic placitum æterno quandoque Tonanti,
Vt late pateat cæleſtis gloria doni.
Ille igitur, ſola mundum qui mente gubernat,
Egregius ſcelerum uindex, prudenſq; bonorum
Largitor, callere dedit mihi munere raro
Præterita, & quæ nunc inſtant, caſuſq; futuros.
Haud ſatis idem etiam incolumes mihi protulit annos
Expertes penitus necis, & mirabile corpus
Conceſſit uarios ultro aptum inducere uultus,
Et uolucrum ac pecudum formas, undiſq; natantum,
Rerumq; omnigenas facies diuerſaq; monſtra.
Nec minor inde fuit Neptuni gratia, curam
Qui gregis æquorei ceſſit, pelagiq; potentem
Eſſe Deum, tribuitq; coli ſolennibus aris.
Nec tua Priamide dudum me præda fefellit,

Mendaces

Mendaceſq; doli, nec quæ te pœna maneret,
Cuius ſumma manus ſocios in crimen adegit.
At nolunt hoc fata Deumq; immobilis ordo
Plectere nunc facinus, quod non impune relinquent:
Nanque ultrix ſuperum lente ſeſe admouet ira,
Subſiſtenſq; diu tolerat ſcelerata nocentum
Vota, queant ut iam putreis abſtergere labes.
At, ſi quem auerti à noxis ſpes nulla ſuperſit,
Protinus effuſas uindictæ laxat habenas,
Compenſatq; ſeuera moras grauiora flagello:
Sed quæ iuſta Deis ira eſt? quando omnia nutu
Ipſorum eueniunt, quodque eſt ſuper æthera ſcitum,
Euitare nefas. aut quæ tum pœna coactos
Aequa manet, cum fata trahunt? Venus imminet Idæ,
Inſanoſq; animis obliqua enutrit amores.
Inde autem infames Latonæ nata Mycenas
Obducto inſpectat radio, bellumq; minatur
Efferus armipotens, ſenior cui falce recurua
Iungitur, ardenteis protendunt ſydera criſtas,
Et medius placido conniuet Iuppiter aſtro.
Cui uis ergo fuat cæleſtes fallere motus?
At pater omnipotens proprium dedit omnibus ultro
Arbitrium, praua ut rectis præferre liceret,
Et quamuis ſummi nutu genitoris agantur
Cuncta, nec inuito fieri quid numine poſſit;
Haud tamen arctamur, ſed libertate perenni
Humano aſſiduas uerſamus pectore curas,
Mox placitum ſponte eligimus ſequimurq; uolentes:
Cumq; ſuperna aliquid portendunt ſigna futurum,
Id Deus è ſummo præſens aſpectat olympo,
Terriſq; ante diem demonſtrat imagine cæli.
Sic igitur ſcelere indigno ſuccenſa per orbem
Late odia, & bellis ardentes undique terras
Conſpicio, hinc longo tandem poſt tempore regnũ
Excidium Phrygij, Priamumq; extrema ferentem,

Cunctorumq́; fere natorum funera, nec te
Gaudentem rapto infelix uis ulla iuuabit.
Mox etiam intueor palantes omnibus undis
Relliquias Troum, & diuerſo in littore fuſas.
Heu ſortem humanæ gentis ratione carentem,
Quæ cum dura uenit, nunquàm uno uulnere lædens,
Damna frequens parat, & uix lapſa ſequentibus urget.
At contra ſi lenis adeſt, noua gaudia ſemper
Felici accumulat, doniſq́; recentibus auget.
Haud aliter poſtquàm aduerſis exercita uotis
Iam Fortuna diu fuerit, deponet acerba
Sponte odia, & quantum fundo depreſſerat imo,
Tantum ſublimi feret altam in uertice gentem.
Vos iuuenes palma hæc ſpectat, uos tanta manebit
Spes, olim Italico quæ tantum accedet honori.
Et te nate Dea primum qui claſſe procellis
Iactata innumeris uenies, ubi Tybris in æquor
Influit, atque armis hic parta coniuge ſedem
Conſtitues, ponet mutandam filius urbem
Syluius, hinc gemini demum Mauortia proles
Albanas linquent arces, & mænia Romæ
Romulus Aeneades occiſo fratre locabit.
Hic igitur miranda loci primordia, ſceptrum
Orbis ubi ſtabitq́; caput, nanque æmula uirtus
Ingentes humili euentus prædicet in ortu.
Dumq́; libens recolo, quæ pace, & plurima bello
Roma geret, totq́; heroum tot clara uirorum
Pectora; mens hæret, potiusq́; ardentia cœlo
Lumina, & Oceani fundo numeremus arenas:
Id loquar Aenea, gentem nulla afferet ætas
Poſtera, quæ maior, populove æquanda Quiritum,
Nec quem orbis reliqui clades, moueantve rapinæ.
Quandoquidem regnum omne ingens, ſummiq́; poteſtas
Imperij, ferro uiolenta exordia ſemper
Aut cæpere dolis, ſed longo tempore demum

 Conſenſum

Conſenſum præſtant populi, aſſuetiſq; uolentes
Subijciunt ſe deinde iugis, tum iure creare
Legitimo Reges cenſent, rerumq; potentes.
O fortuna hominum, & uitæ mortalis iniqua
Conditio, humanaq; uices, quæ cuncta rotatu
Voluitis aſſiduo, ſolitoq; errore perennem
Lætitiam exoſæ ſuprema in parte locatos
Ad ſedes fato urgenti detruditis imas.
Quæ tot iura dabit populis, totq; urbibus ingens
Imponet regniſq; iugum, mox ſubdet eiſdem
Ceruicem miſera, atque uicem collapſa rependet.
Sed tamen egregium eſt felici ſydere naſci,
Et condi ominibus lætis. en Roma futuris
Tot deuota malis ſummum haud deponet honorem,
Primam etenim ueræ ſedem pietatis adepta
Pontificum titulo formidandiſq; tiaris
Maior erit, miroq; hic propagabitur auctu
Relligio, quæ dehinc uarijs agitata procellis
Ambitione patrum, & ſerpentibus undique luxu
Immodico errorum ſectis, tandem ultima uictrix
Ad mores renouata pios in ſecula tendet.
Ergo illis felix æuum, diuinaq; largè
Dona ferent ſuperi, quos tanti muneris olim
Auctores dederint: at ueſtri hic ſeminis unus,
O ſocij, Diuûm celſa illa in ſede locandus
Occurrit, columen ſacri qui nominis ardens
Proteget, inſigni is fama, reque amplior ipſa
Tum ſpecie atque animo, & præſtans uirtute, piorum
Anceps concilium, & ſtudia in contraria uerſum
Componens, ſataget rebus ſuccurrere lapſis.
Verum ego cur mærens, biliq; accenſus amara
Prætereo, quæ dira ſacros ſententia patres
Impellet duram Heſperijs indicere legem,
Vt Capitolinos poſthac Germania Reges
Ad ſeptem procerum nutum legat, unde tot annos
Vrbeſq;

Vrbeſq́; & populi leges faſceſq́; requirant.
Quòd ſi amplo uarioq́; ſitu, ſi mole uirorum,
Et numero, atque opibus terras ſuperambiat omnes:
Sat fuerit ſi in conuentu ſuffragia tanto
Aequa ferat, ſummosve alijs ſociarit honores.
Sed, quoniam fuerat monitis fatalibus ante
Decretum Auguſtæ culmen ditionis ab ortu
Ad ſolem occiduum curſu deferre perenni;
Sors quoque ad extremos hæc demum tendet Iberos.
Nanque ipſis dabit externo de ſtemmate Regem,
Quem ſummo ornatum ſceptro tam læta fouebit,
Quantum aliquem Aeneadum, rerumq́; ad ſydera tollet
Geſtarum fama & domitorum gloria Regum.
Verum etiam ille ſuos manes patietur, & iſdem
Temporibus Deus orbem alium, penituſq́; repoſtas,
Atque diu ignotas, alioq́; ſub axe iacentes
Oſtendet noſtris terras, quarum undique gentes
Mirentur nouitatem, alias ſpecieſq́; habituſq́;
Naturaſq́; hominum, cœliq́; ſoliq́; mariſq́;.
Montibus hic fluuijſq́; auri argentiq́; redundans
Copia: tum certo fiet manifeſta periclo
Antipodum uia. Sed magnus dum cætera uates
Proſequitur, caſu incertum eſt, nutuve Deorum,
Ecce Anchiſiadæ ſubitus ſopor occupat artus,
Excelſuſq́; toro ſenſu languente cadit uir.
Pectora tum comitum caſu tremefacta repenti.
Verum ipſe ut ſpatium nactus pauliſper anhelis
Flatibus, atque graui dehinc murmure reſpirauit:
Sic iterum, ò iuuenes, ultra quid fata repoſcant
Aeneam nunc ſcire nefas: nec pauca ſuperſunt.
At non cuncta uni ſuperum prudentia defert.
Vos etiam præclarus honor ſtirpſq́; alta ſequetur:
Vtque ambos nunc exagitat par cura ſuorum,
Sic pariter ſæui ereptos diſcrimine belli
Euentus uarij, fallaceſq́; æquoris æſtus
 Extremo

Extremo tandem Adriaci maris aggere ſiſtent.
Hic partitus opem gentesq; & ſacra Cremonæ,
Inuitum feſſo cum patre Acamanta relinques,
Et ſedem inde aliam fato ducente requirens
Idæo Eridani penetrabis in oſtia remo.
Sed, poſtquàm aduerſo ductaris gurgite pinus,
Attigeris'q; diu medium uix fluminis alueum,
Qua procul uberibus pandet ſe Inſubria campis:
Ecce nouum dictuq; ingens, at numine Diuûm
Iliacas puppes rapidæ alti uerticis undæ
Impellent, dextroq; infigent littore proras,
Nec ſtudio, aut poterunt diuelli hinc uiribus ullis.
Tum manifeſta aderunt iterum præſagia Teucris.
Nanque agro uiſa explorans delubra propinquo
Fatalem Iani inuenies & coniugis aram.
Ille quidem ſpretor bellorum, & pacis amator
Oſtendet ſedem hanc profugis, requiemq; paratam.
Quæ tu moſtra ſequens, atque aura afflatus olympi
Hic muros ſtatues, quos inſtar nauis in orbem
Signabis, maliq; loco priſca æde relicta
Annua decernes Iano cum coniuge gratus
Sacra, tuiq; addes fulgorem nominis urbi.
At ualidis poſthac Aeneia Roma colonis
Præſidium imperio hic ſtatuet, quo tutius hoſtis
Barbarici euitent damna, inſanosq; tumultus.
Sæuitiam prius ipſa tamen paſſura ſuorum
Quàm belli cladem externi, felicius æuum
Mox ducet, fatoq; diu meliore fruetur.
Quandoquidem templis domibusq; extructa ſuperbis,
Ingenijs armisq; uigens atque ubere campi,
Italicas inter celſum caput efferet urbes.
Quòd ſi omnes rerum euentus, & geſta referrem,
Nec mihi multa dies, nec uox aut lingua loquenti
Sufficerent. immenſo igitur quamplurima ſaltu
Tranſiliens, longo poſt tempore geſta ſilebo:

Donec

Donec uiperei ſato inclinante manipli
Exurget iuuenis, cælo quem Sfortia gignet
Flaminio, Italicis præclarus Sfortia bellis.
Huic natam Rex Inſubrum, ſolamq; parenti
Progeniem thalamo iunget, dignisq; hymenæis,
Et ueſtram titulis cedet dotalibus urbem.
Ipſe diu Auſoniæ ſignis uictricibus oras
Percurrens, poſtquàm ſocerum ſuprema cadentem
Fata petent, inuicto animo, ualidisq; Cremonæ
Præſidijs ſumma audebit, tum ſtemmata resq;
Coniugis accipiens, Inſubrum regna tenebit
Felix, conſtituetq; optatæ fœdera pacis.
Huius ego egregias animoq; & corpore dotes
Quum repeto, ac gratum linguæq; orisq; decorem,
Tum pectus pugna intrepidum, præſentia nec non
Conſilia, & bello fortunam, atque inclyta facta,
Præteritis uix maior erit ſeclisq; futuris:
Hinc nimio ut luxu pariter galeæ aptus & armis
Natus ſceptra reget: ſed, poſtquàm interrita magnis
Ipſum auſis celebres manus obtruncarit ad aras,
Filius imprudens regni iuuenilibus annis
Succedet ſolo genitorem nomine reddens.
Ecce autem triſti patruus rumore ſequetur,
Quem rerum præſtantem uſu grauibusq; tumentem
Conſilijs, longum Heſperius mirabitur orbis.
Sed quàm uanæ hominum curæ, nimiumq; procaces
Fortunæ luſus. nam maius ut horrida robur
Oſtentet, cœpta euertit malefida potentum.
Ille igitur Celtarum armis clauſtra ardua pandens,
Italicam abrumpet non tali mente quietem.
Nanque alijs bellum intexens horrenda parabit
Fata ſibi, & latio miſerandæ exordia peſtis.
Aurea tum late florebunt lilia, donec
Alter aui referens præclarum Sfortia nomen,
Externo auxilio, ciuiliq; agmine, & omnis

Aſſenſu

Aſſenſu Auſoniæ, ſedes intrabit auitas.
Sed grauis hic labor, & ualido tentatus ab hoſte
Sæpius, euertet bello tria caſtra trienni,
Tresq́; duces, qui tot caſus & funera, totq́;
Experti clades, Ticini ad mœnia tandem
Spectabunt Regem illum animo membrisq́; opibuſq;
Ingentem captiuum aduerſæ haud cedere ſorti.
Ergo idem Hiſpanas primum ducetur ad oras.
Cæſarei at proceres hunc magni criminis ante
Delatum, regno erepto uixq́; arce receptum
Et uallis, & foſſa, & milite circumſident.
Quæ non damna feret, quæ non miſeranda uidebit
Hic ipſe, atque graueis infeſto ex hoſte ruinas?
Nec tantum id ſileam, quanquam omnes debilis ar tus
Morbo acri, & rebus modicis, ſpeq́; auſus inani
Haud tamen ante loco cedet, quàm triſtis egeſtas
Extrema, & fame defectum penuria coget.
Iamq́; anceps feror, an miſeram ſors improba ſedem
Sfortiaco heroi, aut felicem læta pararit:
Quando ipſum exitio populorum, omnisq́; tumultu
Europæ, ac patriæ damnis rerum omnium egentem
Excierit, totoq́; hærentem corpore & ægrum.
Verum parte alia aſpirans tot ubiq; periclis
Elapſumq́; malis, contra tot tela, tot hoſtes
Proteget, & certo pacabit fœdere regnum.
Scilicet hæc ſuperis primum laus, inde Cremonæ
Debita erit: nam, quæ ſceptri primordia figet
Sfortiaci, feret auxilium plerunq; cadenti.
Quin hic filij aliud genio impellente recludam.
Quanquàm etenim ſacra Romani in claſſe ſenatus
Optari dabitur cunctis, nullamq; galero
Purpureo gentem excludet; longum tamen una
Vrbs tua tot decorata bonis, tot dotibus omne
Promeritura decus tam clari muneris expers,
Et caritura diu eſt, donec pia numina ſortem

Mutabunt,

Mutabunt, uarioq; aſtrorum lumine fructus
Trunca nouos arbor ualido dabit incremento.
Hæc effatus erat Proteus, & plura tenebat
Promenda: at longo fatorum examine feſſus
Subſtitit. illi autem feſtini ad littora tendunt,
Perteſiq; iter, & peregrinæ incommoda terræ
In patriam reditum exoptant, finemq; laborum.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGITO.

pag.	uer.	
2.	42.	*arcisq; Lycææ*
2.	51.	*latebroſa Sibyllæ:*
4.	5.	*triplicemq; Hecaten,*
4.	20.	*Ianiq; biuerticis*
4.	52.	*Incidit, aut quali*
4.	55.	*ſancibas fœdere*
5.	12.	*ſententia nutat.*
6.	44.	*Inclinatam aciem,*
8.	53.	*Iliadum fruſtra*
8.	55.	*Iuſticium, & feſtos*
10.	12.	*atra uolentes.*
10.	13.	*totamq; ſubortæ*
13.	7.	*poſtquàm Lacedæmone*
17.	19.	*ſtriduntq; rudentes.*



BIBLIOTECA